


Oriens.



A cella. B penetrals. C D utriusq; latitudo uiginti cubitorum. E F cellae longitudo quadraginta cubitorum. G E penetrals longitudo uiginti cubitorum. H tabulata. I angularia tabulata. K tabulatorum ianua. L uacans locus quinq; cubitoru latitudine, quem huc ex Ezechiele transfulimus, quoniam hic non describitur. M murus templi. N uestibulum. Quod ad atria pertinet, ea uidebis in Ezechiele. Caeterum cur ita figuras collocem, ut qui eas spectet, habeat a fronte orientem, a dextera meridiem, facit locus ex Psal. 89. ubi sic legitur: Aquilonem tu, dexteramq; creauisti. Et item huius libri cap. 7. ita scriptum est: Lacum in dextera templi parte, secundum meridiem ponebat. Nam ibi dextera est meridies. Cum enim ad solis ortum sumus conuersi, (quo maxime modo mundum

considerare licet) habemus ad dexteram meridiem. Vocatur enim dextera non mundi, sed nostra. Nam alioquin si stamus mundi frontem & quasi oculos, orientem solem, erit eius dextera polus arcticus, qua est septentrio: sinistra antarcticus, qua est nobis meridies.

Proiectura erat quinaria.) Hunc locum non intelligi, quemadmodum neq; eum qui mox sequitur, Proiecturam habentes ex quarta, quod ideo moneo, ne quem hoc loco fallat mea translatio. Quod autem de interiore atrio tradit, id ita intelligendum est: atrij murum constare tribus lapidum ordinibus, & uno cedrinarum trabium, scilicet interiore, qui lapides obduceret, qui quatuor ordines crassitudinem efficerent muri, hoc modo.